Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 7

Quelle:
Copyright:

num in Missa legi solitorum quadrata hac Epigraphe: *Incipit Capitularis Euangeliorum de Circuli Anni Sanctae Romane Aecclesiae. In Nomine Domini Statio ad Sanctam Mariam Majorem* &c. *Matthaeum* praeit *Hieronymi Epistola ad Damasum*, altera ejusdem *Praefatio*, quae incipit: *Plures fuisse, qui Evangelia scripserunt* &c. usque ad verba: *ecclesiasticis uiuis canendas*, et brevis cujusdam Homiliae portio hujus initii: *Duorum in generatione Christi principia presumens* &c. His accedunt *Canones* illi *harmonici* Evangelistarum, quorum jam *Hieronymus* in *Ep. ad Damasum* meminit, quique etiam in primis Bibliorum editionibus, puta *Kobergeriana* an. MCCCCLXXVII. spectari possunt. Etiam reliqui Evangelistae *Praefationes* suas habent. *Marcus Euangelista domini* &c. *Lucas Syrus Antiocensis arte medicus* &c. *Hic est Johannes Euangelista* &c. Actus item Apostolorum: *Lucas natione Syrus, cuius laus* &c. et Epistolae Paulinae: *Primum intellegere nos oportet* &c. Huic tamen caute superscriptum est: *Incipit prologus sancti hieronimi iuxta opinionem;* non enim Hieronymum autorem habet. Singulis praeterea Epistolis brevia *argumenta* praefixa sunt. In *Evangelio Joh.* c. VIII. legitur historia de Muliere adultera. *Fol.* 261. ante *Act. Apost.* per 6. columnas descripta sunt initia *Antiphonarum* in officio ecclesiastico usitatarum. Folium istud compactoris errore huc irrepsisse videtur. Demum celeber ille locus I. *Joh.* c. 5. v. 7. et 8. sic se habet. Prima verba: *Quoniam tres sunt, qui testimonium*, intacta sunt, sequentia: *perhibent in terra. aqua. sanguis. et caro tres in nobis sunt*, erasa priore scriptura rescripta, ab eadem tamen manu, videntur. Subjungitur: *Et tres sunt. qui*, hisque adjecto asterisco continuatur in margine infra textum: *testimonium perhibent in caelo. pater. uerbum. et spiritus. et hi tres unum sunt.* Itaque, quod tot aliis Librariis contigit, ut, dum eaedem sententiae, aut eaedem voces repetendae essent, quaedam transilirent, id hic et nostro evenit. Qua de re vide, quae *Martianaeus* et *Vallarsius* in edit. *Opp. Hieronymi* et *Lud. Rogerius* in Dissert. *Paris.* 1715. 8. edita ad hunc locum congessere, plenissimeque disseruit *Joh. Millius* ad N. T. graecum p. 579. Codicis nostri ex *Lambecio* supracit. meminit *Lelongius Bibl. Sacrae* T. I. p. 235.

II. VII. H. 9.

Codex membraneus lat. Sec. 687
XIII. Folior. 582. 4. S. *Bibliorum* Exemplar est minutius sed nitidissime exaratum, rubricis distinctum, Literisque initiorum picturatis et deauratis insigne. Praemittitur *Hieronymi* Prologus: *Frater Ambrosius mihi tua munuscula perferens* &c. Ita et reliqui Libri *Prologos* praeferunt consuetos, et ordine hodie usitato decurrunt,

nisi